

Heinrich Rahn Theodor Dethmar


Centuria Thesium Iuridicarum Continens Materiam De Necessaria Defensione, Ex I. 3. D. de Iustit. & Iur.

Rostochi[i]: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766230937>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



CENTURIA
THESIUM JURIDICARUM
Continens Materiam
DE
NECESSARIA
DEFENSIONE,

Ex l. 3. D. de Justit. & Jur.

Quam

D. T. O. M. A.

PRÆSIDE

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. HENRICO RAHNEN J.U.D.

& Profess. Præceptore & Promotore
suo observando

Publico placidoq; examini subijcitur

THEODORUS DESSMAR

Osnabr. Westph. A. & R.

*In Auditorio majori ad diem 25. Novembr.
horis matutinis.*

Defensor propriæ salutis in nullo peccat *l. 3. C. ad
l. Cornel. de sicar.*

ROSTOCHJ,

Litern NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

ANNO MDCXXXVII.

VIRIS
*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis
& Consultissimis,*

DN. THEODORO *Reinking*/ Jcto
celeberrimo, Sacri Cæsarei Palatij Comiti, Re-
verendissimi, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac
Domini, DN. FRIDERICI, Archiepiscopi Bremensis, Episcopi
Verdenfis &c. Consiliario intimo & Cancellario
gravissimo.

DN. LAURENTIO STEPHANI,
J.U.D. Antecessori in inclyta Rosarum Acade-
mia celeberrimo, Amplissima Facultatis Juridicæ Se-
niori, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, DN. ADOLPHI
FRIDERICI, Ducis Megapolitani Consiliario, & Cancellariæ
Gustroviensis Directori dignissimo.


DN. FRIDERICO COTHMAN,
J.U.D. Eximio, literarum & literatorum
Patrono magno.

*Dominis Mæcenatibus, Patronis ac Promotoribus suis, omni
honori & observantia culta ac atem venerandis.*
Ut &

DN. JOHANNI GEORGIO *Schneiderwindt*/
Viro Spectatissimo, multoq; rerum politicarum usu
præstantissimo, Vitrico suo, debito amore & obsequio nun-
quam non prosequendo.

*Exercitij hujus juridici oblatione, se suaq; studia,
in submissi animi testimonium, observantia ac gra-
titudinis indicinam commendat*


THEODORUS *Dethmar*
A. & Resp.



8

Quod Deus felix faustumq;
esse jubeat.

Thes. I.



NE quis sibi ipsi jus dicere, & injuriam, si quam passus, propria auctoritate vindicare possit, summus rerum gubernator humano generi Magistratum, tanquam Deum aliquem prapositione, qui suum cuiq; tribuat, bonos defendat, malos verò obdelicta poenis coerceat.

II.

Non enim concedendum est singulis, ut præclare inquit JCtus noster Paulus, quod per Magistratum publicè fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi *l. 176. ff. de R. I.*

III.

Hoc licet juris sit indubitati, evenit tamen sæpius, ut copia Magistratus dari non possit, & necessitas cogat privatum ante in tempore occurrere, quàm ad judicem veniat.

IV.

Hanc ob causam, ne expectato judice vulneretur, aut occidatur privatus, ab obtinendum jus suum leges privatam vim ei concesserunt, *l. 4. ff. ad l. Aquil.* Melius enim est in tempore occurrere quàm post exitum vindicare, *l. 1. C. quand. lic.* Hinc Mantuan. Pellere vim vi jura sinunt, & vulnere vulnus.

V.

Privatam hanc violentiæ atq; injuriæ depulsionem JCti vocant Necessariam defensionem, seu moderamen inculpatae tutelæ, cujus materia cum sit utilissim, & depravato hoc seculo nimis, heu! quotidiana, non abs re me facturum puto, si illam hac vice, pro ingenij mei modulo ventilandam proponam.

A z

VI. In

VI.

In omni tractatu rerum quidem potior, prior tamen verborum ratio haberi debet *l. 7. in fin. ff. de suppell. legat. l. 1. ff. de reb. cred.* Verba enim sunt rerum notæ, quæ ad ipsarum perceptionem non raro nos manuducunt *Cic. de finib. & lib. 9. ad Famil. epist. 22. Scalig. exerc. 1. Sect. 1. lib. 1. de caus. latin. ling. c. 1.*

VII.

Cum autem plures sint res quàm voces, necesse fuit, unica voce plures res significare; hinc orta sunt Æquivoca, quæ juxta tritam Logicorum regulam semper sunt distingvenda, antequam vel definiti, vel dividi, vel scientiam aliquam gignere possint.

VIII.

Hoc nisi fiat, vocabuli ambiguitas propter diversam ejusdem significationem vocem dubiam reddit & perplexam *arg. l. in ambiguis 85. ff. d. r. 1. & l. 46. de legat. 2.*

IX.

Itaq; quamvis multa vocabula sint generalia, tamen coëcenda & temperanda sunt secundum naturam, conditionem & qualitatem subjectæ materiæ, nec ad aliam rem, nisi super qua proferuntur, sunt restringenda.

X.

Ut igitur vox Defensionis quoq; ab æquivocatione vindicetur, operæ precium erit, quasdam ejus significationes in medium proferre, ut liqueat in quonam significato in hac nostra Disputatione sit exaudienda.

XI.

Defensio à defendendo dicta in jure nostro 1. sumitur pro susceptione in patrocinium & protectionem, ita Tutor dicitur pupillum defendere *l. generaliter. 10. l. tutoris 30. ff. de administ. tut.*

XII.

Secundò accipitur pro excusatione, quæ ad allegandas causas absentia & dilationem petendam in judiciis datur, *l. servum quoq; 33. §. publice 2. ff. de procurat. l. sed & si reip. 23. ff. de Usur.*

XIII.

Tertiò usurpatur pro exceptione *l. 1. C. de jur. & fact. ignor. ubi*

ubi militi etiam post sententiam, propter ignorantiam, juris exceptionem peremptoriam licet opponere. Ita etiam sumitur in *l. cum nondum 4. l. si quidem 9. C. de except.*

XIV,

Quartò restrictivè & magis propriè accipitur pro tuitione si ve instantis imminentsive offensiois propulsatione *l. 4. l. 45. S. 4. ff. ad l. Aquil.* Atq; hanc posteriorem significationem nos hoc loco retinemus.

XV.

Ordinis ratio jam exigit, ut à definitione rem ipsam aggrediamur. Nam quemadmodum fines agros regionesq; claudunt ac determinant: sic Definitionibus natura rerum circumscribitur, & à confinibus determinatur *Quintilian. lib. 7. c. 4. Fofsec. 5. Inst. c. 1.* Omnis, inquit *Cic. 1. Off.* quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

XVI.

Definimus autem Defensionem necessariam, quod sit facultas omni jure concessa, vim atq; injuriam ab insultante nobis imminentem, vel jam illatam, vi privata repellendi,

XVII.

Dicitur Necessaria, quod durissimo necessitatis telo flagitante, insultatus eam suscipere cogatur, unde etiam in lingua Germanica vocatur *Nothwehr.*

XVIII.

Dixi Defensionem licitam esse omni jure. 1. Naturali, quia cui libet Enti creato à natura inditus est instinctus, ut tendat ad conservationem sui & repulsionem oppositi.

XIX.

Hoc sine Leonibus robur, Tauris sponte nascencia cornua, apibus aculei dati sunt, ut laceffiti in sui protectionem iis utantur. Hinc eleganter Poëta canit:

*Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem:
Verùm etiam instanti lesa repugnat ovis.*

A 2

XX. Uade

XX.

Unde cum defensio ex ipsius naturæ fontibus promanet, adeo favorabilis est, ut nemini sit deneganda *l. defensionis facultas 7. & ibi Dd. C. de jur. fsc. ne quidem Diabolo, ut loquuntur Dd. & Rot. Rom. decis. 364. Magnific. & Nobiliss. Dn. Theodor. Keintingel/ Cancellarius Bremensis & Verdensis meritisimus, Dn. Promotor ac Patronus meus omni observantia studio et atem reverenter venerandus, in enarrat. tit. 7. lib. 2. C. de in jus voc. and. num. 11.*

XXI.

In tantum ut nec ipse Imperator vel alius Princeps eam alicui adimere possit *Dd. in l. 3. ff. de just. & jur.* Et licet regulariter, quilibet favori pro se introducto renunciare queat *l. 29. C. de pact.* tamen reus in criminalibus defensionis suæ renunciare non valet. *l. 6. ff. de appellat.*

XXII.

2. Jure gentium licita est defensio, quia Florentinus in *l. 3. d. j. & j.* illam tutelam, quæ vitæ humanæ societas conservatur, juri gentium adscribit.

XXIII.

Nam sicuti hominem homini insidiare nefas est: ita justum esse censetur, vim atque injuriam à corpore, à capite, à vita sua propulsare.

XXIV.

3. Jure civili, quia hoc in defensione necessaria legitimum moderamen, tempus & causam servare docet *l. 1. C. Und. vi.*

XXV.

4. Jure Canonico, quia expressè permittit, ut aliquis in discrimine vitæ constitutus, omni meliori modo, quo potest, se defendat, ne ab alio iniquè occidatur *c. si verò X. de sentent. excommunic. c. significasti X. in fin. de homicid. Clement. un. de homicid.*

XXVI.

Adeo ut Sacerdos celebrans Missam, injustum aggressorem occidere, & postea Missam licite perficere possit, referente, *Geil. lib. 2. obs. 110. n. 12.*

XXVII. Jure

XXVII.

5. Jure divino, quod patet ex quinto præcepto, Non occides, quo Deus non solum præcipit, ne alios occidamus, sed ut nos ipsos etiam defendamus & tueamur, quod nisi faciamus, legem hanc in propria nostra persona violamus.

XXVIII.

Nam qui valent se defendere, & non defendunt, sed patiuntur se interimi ab injusto aggressore, peccant ac sive ipsos occidissent vel vel præcipitassent, *Paul. de Castr. in l. 3. ff. de i. & i.*

XXIX.

Causa efficiens Defensionis est vel Propinqua, vel Remota. Propinqua est agens, scilicet homo, qui vim illatam vel jam instantem vi propulsat. Remota est jus omne quod defensionem permittit.

XXX.

Nullam autem hic facimus differentiam ætatis, sexus aut conditionis. Quod probatur hac voce generali Quisq; in hac *l. 3. de i. & i.*

XXXI.

Proinde regulam generalem constituimus talem: Omnibus injustè læsis necessaria defensio conceditur: nam ubicunq; offensio est prohibita, ibi defensio est concessa.

XXXII.

Quod adeo verum esse putamus, ut etiam Subditus Magistrati injustè vim inferenti jure resistere queat. *l. 5. l. 7. C. de jure fisco. Mynsing. 5. obs. 18.*

XXXIII.

Verùm an filius in vitæ discrimine constitutus patrem injustum percussorem justè interficere queat, nō caret controversiâ. Cōmuniter Dd. affirmativam amplectuntur. Justior tamen & æquior mihi videtur eorū sententia, qui statuunt, filio mortem potius ferendā, quàm ut nefandum Parricidij crimen patret, & ei vitam adimat à quo vitam accepit *arg. l. 13. §. 4. ff. de re milit. l. 9. ff. de obseq. parent. vel patron. præstand.* Nam licet pater sit iniquus & legum contemptor, tamen pater est *Nov. 12. c. 2. in fin.* Unde adolescens quidam Zenonis, discipulus à Patre suo

tre suo verberibus affectus recte dixisse videtur: Patris mei iram & verbera toleranti animo ferre didici. Imò inquit: Si tibi parens placent me occidere, tibi non resistam, sed potius mortem feram, quam ut te vitâ velim privare, *Thom. Sagitt. in disp. de civil. convers. privas. thes. 163.*

XXXIV.

Quod ad vasallum attinet, si is Dominum suum cum moderate inculpata tutelâ pro defensione sua interficiat, excusatur, nec propterea beneficio suo privatur *Rosenth. de Feud. c. 10. n. 23.* Fidelis enim debet esse domino, sed sibi ipsi magis. *Borch. de feud. c. 1. n. 41.*

XXXV.

Et hæc defensio competit non tantum omnibus iis quibus vis & injuria infertur: Sed & his qui injuriam passis sanguine, affinitate vel alio societatis genere juncti sunt.

XXXVI.

Causa instrumentalis sunt arma quibus vis propulsatur, videlicet gladij, bombardæ, fustes, & reliqua armorum genera, quibus defensio mediata peragitur.

XXXVII.

Sequitur Materia circa quam sive objectum, quod constituunt Personæ, Res & Fama.

XXXVIII.

Personæ in triplici sunt differentia: vel sunt Propriæ, vel Necessariæ, vel Extraneæ.

XXXIX.

De propriis personis, quin illis competat necessaria defensio, nullum planè est dubium per *L. 3. ff. de i. G. i.*

XL.

Necessariæ personæ sunt, quæ nobis consanguinitatis vel affinitatis vinculo sunt conjunctæ. Dictæ sine dubio ob id Necessariæ, quod necessaria officia in illas præ cæteris sint conferenda.

XLI.

Tales Personæ sunt Parentes, Liberi, Conjuges, Consanguinei, Affines, Patroni, & si quæ sunt aliz.

XLII. Paren-

XLII.

Parentes liberos in discrimine vitæ constitutos videntes, vim imminuentem vel jam illatam jure meritoq; ab iis propulsare tenentur.

XLIII.

Liberi vicissim parentes propter innatum amorem & debitam reverentiam justè tuentur.

XLIV.

Idem dicimus de Maritis, quos uxoribus, vim injustam patientibus suppetias ferre arctissimus amor jubet; cum & alias injuria uni facta, alteri facta censeatur. *Bart. in h.l.3. dei. & i.*

XLV.

Non minus justè quoq; reliqui consanguinei, ut frater pro defensione fratris, affinis pro defensione affinis, violentos aggressores interficere possunt.

XLVI.

Nam quoties mentio fit in legibus de se vel sua persona, non solum propria persona, sed & aliæ, quas necessitatis vel consanguinitatis vinculo sibi habet conjunctas, comprehenduntur arg. l. 3. § sed quod diximus 6. ff. de pen. legat. *Magnific. & Nobiliss. Dn. Reinkingk. in Tractatu de Regim. secular. & Ecclesiast lib. 3. class. 3. cap. 2. n. 17.*

XLVII.

Et qui has personas non tuetur, sed vi & injuriâ eas opprimi, dum mutare potest, tolerat, patitur peccare peccantem & vires subministrat audaciæ. *Dn. Reinkingk. loc. alleg. num. 19.*

XLVIII.

De Præceptoribus, quibus æqualis cum parentibus honor debetur, idem obtinere censemus.

XLIX.

Socium itineris quoq; pro tuitione socij sui, servato modamine inculpatæ tutelæ, injustum in vasorem impunè occidere posse, non dubitamus; Et probat hoc jus Canon. *Can. fortitudo. & Can. non inferenda 23. q. 3.*

B

L. Unde

L.

Unde etiam vicinus vicinum, hospes hospitem, amicus amicum, homo hominem, præsertim Christianus Christianum rectè defendit. Sumus enim invicem fratres uno regenerationis lavacro loti *e. ad mensam. 11. quest. 3.*

LI.

Etsi enim hæc lex de proprij tantùm corporis tuitione præcipuè loquatur: tamen etiam in personis tam necessariis quàm extraneis, idem obtinere lex charitatis dicitur; cui consentit Constit. Crim. Carol. V. art. 150. §. Item/so einer zu Errettung eines andern Leib.

LII.

Nam si proximum nostrum non minus ac nos ipsos diligere tenemur: Sequitur proximum quoq; esse defendendum.

LIII.

Hoc tamen eò extensum nolumus, ut quis eum propriæ vitæ suæ jactura ad periculosam aliorum defensionem teneatur. *Farinac. de homicid. quest. 125. n. 300. & seqq.* ubi tamen excipit liberos, conjuges & subditos.

LIV.

Ordinata enim charitas incipit à se ipsa, & id tenetur aliquis præstare, quod sibi non nocet, alteri verò prodest. *l. 2. §. 5. in fin. ff. de aqu. plu. arcend.*

LV.

Quemadmodum verò corpus nostrum multorum infidiis & injuriis est expositum: ita non minus à violentis invasoribus, rebus & bonis nostris vis sæpè, post habito omni jure, infertur.

LVI.

An autem privatâ autoritate vim rebus illatam, non secus ut à corpore propulsare possimus, quaritur? Licet bona hominis quodammodo vita, & secundus quasi sanguis dicantur *Syrach. 34. v. 25. l. 4. ff. de agnos. & alend. liber.* magna tamen inter vitam hominis & bona caduca est disparitas. Quare nos rejectâ opinione *Accursij ad l. 3. ff. de i. & i.* statuimus, non aliter ob rerum defensionem invasorem impunè

8
impunè occidi posse, nisi personà res suas defendens simul in vitæ
discrimen conjiciatur. *Wesenbec. i. consil. 19. n. 52. Trecutl. vol. 1. disp. 1. th. 4.*
lit. c. Fachin. 1. contr. jur. 31.

LVII.

Quo casu non amplius derebus, sed proprii corporis salute
agitur, ac homicidium non rerum occasione, sed præcipue pro cor-
poris tutela factum censetur. arg. *b. l. 3.*

LVIII.

Non inelegans hîc solet moveri quæstio: An Titius Sempro-
nium, qui ei res suas aufert, & equo fortè insidens, tam celeriter fugit,
ut eum assequi non valeat, exploso globulo bombardico, impunè tra-
jicere, & ita occidendo Sempronium, res sibi ablatas recuperare pos-
sit? Nos negamus, etiamsi Titius res suas aliter recipere non possit.
Hic enim inter invasionem & propulsationem non est justa propor-
tio; cum Titij vita non periclitetur, sed saltem pro rerum suarum con-
servatione adversarium interimat, *l. 9. ff. ad leg. Cornel. de sicar. junctâ*
l. 4. & l. 5. ad L. Aquil. Harprecht in §. item lex Cornel. de sicar. s. de publ.
judic. n. 182.

LIX.

Proinde cum hæc defensio transeat in vindictam, omni jure
prohibita est *l. nullus C. de jud. & cælicol. Zoanett. de necessar. defens.*
part. 2. n. 57.

LX.

Nec militat hîc eadem ratio, ut in corporis defensione. Res
ablata ordinariâ juris viâ repeti possunt; vita verò semel amissa resti-
tutionis nescia est.

LXI.

Solent hoc loco quidam distingvere inter res viles & preciosas.
Nos rejectâ hac distinctione, nullum rerum discrimen constituumus,
quâ res quantivis præcij collatâ cum homine, sunt vilissimæ, quibus
vita hominis longè præferenda *l. 21. in fin. C. de SS. Eccles.*

LXII.

Sequitur Fama, thesaurus hominis inæstimabilis omnibusq;
mundi

mundi divitiis præferendus. An autem ad ejus defensionem hæc defensio extendatur, quæritur? Negativæ sententiæ calculum nostrum adjicimus.

LXIII.

Defensio necessaria est remedium extraordinarium, quod in casu omnis remedij deficientis locum habet, *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Famæ verò læsio per legitima juris media restitui potest.

LXIV.

Siquidem actione injuriarum contra famæ fugillatorem apud judicem experiri, vel si judicis copia non detur, recriminatione injuriam retorquere poteris.

LXV.

Non incongruè hîc quæritur: Utrum provocatus ad duellum, hoc modo: *Distu ein redlicher Cavallier vnd kein Schelm / so kom her aus vnd wehre dich meiner /* provocanti comparere, eumq; impunè interficere possit? Sunt nonnulli, etiam magni nominis Jcti, qui hoc assertum eunt. Nos dicimus, quàm ignominiosissimis etiam verbis provocatum non teneri comparere, imò non posse absq; animæ suæ discrimine. *Cujac. s. obs. 18. Obrecht. de necess. defens. c. 9. n. 13. & seq. Bocer. de bell. & duell. lib. 2. cap. 8.*

LXVI.

Nam duella hujusmodi omni jure sunt prohibita, & evocator graviter peccat contra Deum, contra Magistratum, contra proximum, & deniq; contra se ipsum.

LXVII.

Summam ergò laudem meretur Princeps vel Magistratus, qui publicis mandatis Duella & Provocationes ad pugnas omninò prohibet, & transgressores severè punit.

LXVIII.

Transimus jam ad pudicitiam, cujus defensio huc quoq; pertinet, quærentes, an ejus servandæ causa honesta virgo violentum stupratorem

68
prætoſem occidere poſſit? Quod aſſerimus per l. 1. §. pen. ff. ad l. Cornel.
de ſicar. l. 8. §. 2. ff. Quod met. cauſ. c. non oſt. noſtrum ii. cauſ. 23. q. 8.
P. H. D. artic. 142. poſt princ.

LXIX.

Caſtitaſ enim eſt præcipuum fœminarum ornamentum &
firmamentum Nov. 6. c. 6. in fin. quo ſublato mulieri nil quicquam
ſalvi eſt, juxta tritum verſiculum:

*Sunt tria quæ nunquam poſſunt amiſſa redire,
Tempuſ, virginitaſ, verbaq; dicta ſemel.*

LXX.

Forma deſenſionis conſiſtit in tribuſ potiffimum, Modo, Tem-
pore & Cauſa.

LXXI.

Moduſ requirit ut deſendens probeſ, ſe ob imminenſ vitæ peri-
culum violentum aggreſſorem coactâ voluntate occidiſſe: l. 3. §. 9. ff.
de vi & vi armat.

LXXII.

Exigunt hîc nonnulli paritatem armorum, quod non habet
rationem. Generaliter enim h. l. 3. inquit: Quodcunq; ob tutelam
corporiſ ſui quiſ fecit, id jure factum eſſe putatur.

LXXIII.

Quare cum legeſ non præſcribant, quonam armorum genere
deſenſio ſit peragenda: noſtrum quoq; non erit diſtinguere, vel cer-
tum modum præſcribere arg. l. de precio §. ff. de Public. in rem act.

LXXIV.

Quiſ enim tam ſtultuſ eſſet, qui vitæ diſcrimini ſeſe objectare,
firmiora arma, quibuſ ſe poſſet tueri, abjicere, & injuſtam vim à vio-
lento invaſore pati mallet?

LXXV.

Viſ inermiſ quidem non rectè armis propulſatur: at viſ arma-

ta, ut si quis me ferro petat, quo vis armorum genere repelli potest, en-
sis rhomphazâ, pugio gladio, gladius bombardâ.

LXXVI.

Sed anné invaluus priorem ictum debet expectare? Neutiquam.
Melius enim est occurrere in tempore, quàm post vulneratam causam
remedium quærere *l. i. C. quand. lic.*

Principiis obsta: serò medicina paratur.

LXXVII.

Ex primo ictu lethaliter soepe quis vulneratur, præsertim si ad-
versarius habeat bombardam, cujus primum ictum expectare peri-
culosissimum & certissima mors est. *Dn. Ernest. Cothman. lib. 3. consil.
43. n. 39.*

LXXVIII.

Huic nostræ assertioni adstipulatur *Constitut. Criminal. Carol.
V. art. 140.* his verbis: *Ist auch mit seiner Segenwehr/ biß er geschla-
gen wird/ zu warren nicht schuldig.*

LXXIX.

Sufficit enim solus armorum terror, non tamen simplex, sed
talis ex quorum usu & impulsione mortis periculum inducitur. *Bald.
in l. ut vim n. 9. ff. de i. & i.*

LXXX.

Hic etiam examinanda venit quæstio sæpius agitata, An inful-
tatus fugere teneatur? Negantium dogma sequor. Fugere enim in-
star timidi leporis non solùm ignominiosum, sed etiam periculosum,
cùm fugiens facillimè in fuga cadere possit, exemplo Nisi apud *Vir-
gil. lib. 5. Æneid.*

*_____ fessig, sub ipsum
Finem adventabant, levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix.*

LXXXI. S

LXXXI.

Si tamen quis citra vitæ periculum pedum celeritate sibi consulere posset, ei omnino suavis essem, ut potius cum populari ignominia retrocedendo pugnam detrectaret, quam ut incerta victoria pugnaret arg. l. s. in pr. vers. sin. autem ff. ad l. Aquil. §. injuria autem 2. ibi utiq; si aliter periculum effugere non potest & ibi Bald. inst. de leg. Aquil.

LXXXII.

Hujus rei etiam expressum habemus textum in Ordinatione judicij Criminalis Carol. V. artic. 140. Verba sunt hæc: So einer jemand mit einem tödlichen Waffnen oder Wehr überläufft ansicht oder schlegt / vnd der benötigte kan süglich ohne Fährlichkeit oder Verletzung seines Leibes / Lebens / Ehr vnd gueten Leumuehs nicht entweichen / der mag sein Leib vnd Leben ohn alle Straff durch eine rechte Gegenwehr retten.

LXXXIII.

Fugiat ergo qui fugere potest. Nam Sola provocatio adversarij non excusat à delicto, sed necessitas defensionis & vitæ periculum, Geil. lib. 1. de Pas. Publ. cap. 16. num. 6.

LXXXIV.

Hoc ut homine Christiano dignius, ita etiam conscientie longè tutius esse existimo.

LXXXV.

Caveat quilibet, inquit Harprecht ad §. 5. Inst. de publ. jud. n. 122. sive sit nobilis sive ignobilis, ne pro tantillo mundani honoris vitam alicui adimat, suamq; conscientiam sauciet.

LXXXVI.

Nam cum defensio sit juris naturalis quo omnes homines æquales esse censentur, discrimine inter nobiles & plebejos rejecto, statuimus, omnes provocatos, nondum tamen in vitæ periculo constitutos, si fugâ sibi consulere possint, ad eam capessendam teneri.

LXXXVII. Sed

LXXXVII.

Sed regeris, possem tamen hostem, qui mihi vitam adimere volebat, occidere. Respondeo, quamvis hostem tuum interimas, tamen humanum sanguinem, precioso Christi sanguine redemptum, effundis, cum fugâ impendens periculum evitare potuisses.

LXXXVIII.

De Tempore dicimus, quod fieri debeat defensio in continenti, nullo extraneo actu interveniente, sed fervente concertatione *l. 3. §. 9. ibi sed non ex intervallo & l. 17. ff. de vi & vi armat.*

LXXXIX.

Nam quæcunq; fiunt ex intervallo, cogitatè fiunt, & non tam tuitionem quàm ultionem redolent. *Geil. lib. 1. de Pac. Publ. c. 16 n. 17.*

XC.

Causa consistit in Personarum & rerum contra violentos aggressores, non vindictæ sed tuitionis ergò suscepta defensione.

XCI.

Sed cum hæc omnia certis præceptis & regulis plenè comprehendi nequeant, prudentis judicis arbitrio ea reliquenda esse putamus.

XCII.

Queritur jam, quâ pœna puniendus sit is, qui intra cancellos defensionis se non continuit? Non ordinariam, sed aliam mitiorem pœnam ei dictamus, cum *Geil. 2. obs. 110. n. 15.*

XCIII.

Finis primarius qui à Defendente intenditur est Tutela; Secundarius est debilitatio & occisio violenti aggressoris.

XCIV.

Effectus est, quod defensor in nullo peccasse censeatur *l. 3. C. ad l.*

ad l. Cornel. de sicar. nam quod fit lege permittente, legis poenam non meretur l. 4. C. ad leg. jul. de adult.

XCV.

Reliquum est, ut videamus de Probatione defensionis. Ea vero in duobus consistit 1. Ut provocatus demonstrat, se ab occiso violenter esse invasum. 2. Ut probet, se adeo coarctatum & in vitae periculo constitutum fuisse, ut evadere non potuerit, nisi aggressorem occidendo. *Damboud. in prax. rer. criminal. c. 76. n. 3. Geil. 2. obs. 110. n. 14.*

XCVI.

Hæc probatio cum sit favorabilis & de genere privilegiatarum, Doctores hic admittunt testes alias minus habiles, puta mulieres, domesticos, ut fratrem pro fratre, dominum pro servo, affinem pro affine *Mynsing. 3. obs. 16. Wesenbec. consil. 19. n. 40. & 61. part. 1.*

XCVII.

Admittuntur etiam testes de Credulitate deponentes, hoc est dicentes, se existimare vel credere homicidium factum esse ad defensionem. *Bocer. lib. 2. de duell. cap. 10. n. 82. Wesenbec. d. consil. 19. n. 40.*

XCVIII.

Immo solæ præsumptiones, conjecturæ, signa & indicia non rejiciuntur. Tales conjecturæ sumuntur ex aggressionem, insultu, terrore, armorum genere, minis, & similibus.

XCIX.

Eatenus verò Præsumptiones & Conjecturæ admittuntur, quatenus dubium est, quis primus fuerit aggressor. *Bocer. d. lib. 2. c. 10. n. 85. Duaren. lib. 1. disput. annivers. cap. 27.*

C.

Hunc in modum probato inculpatæ Tutelæ moderamine reus ab ordinaria L. Cornelie poena vel est absolvendus, vel mitius puniendus. Atq; hæc de Necessaria defensione hac vice dicta sunt.

SOLIDEO T. O. M. GLORIA.

C

HA

5
Perge bonis curam studiis impendere; cepti
Nec dum fata sinunt, mitte laboris opus
Proderit hoc, nec non olim tibi commoda gignet
Multa. Laborantem digna corona manet.

PRÆSES.

Ad

Virum. Juvenem Præstantissimum,

THEODORUM DETHMARUM,

publicitus disputantem

De Necessariâ Defensione.

DETHMARE Aonidum & Themidos doctissime cul-
Dnm modò justa tibi curæ est Defensio, eamq; (tor)
Astructam Theſibus Defendis, acumine mentis
Et promptâ lingvæ facundiâ, utrumq; mereris
Præclaræ punctum Laudis. Tibi magnus Apollo
Et virgo Astræa florenti è frunde Corollam
Nectere jam incipiunt; quæ dehinc tua tempora cir-
Stabit, & egregios tibi concinnabit honores. (cum

Deprop.

Petr. Lauremberg. D. & Pr.

PRælia quod tentas Theodore, haut Martis at Artû,

Et flore at atis Palladis arva colis.

Rem facis eximiam, tollet quam nulla vetustas

Et cui persolvet certa brabæa Themis.

Mactæ

*Macte animo felix captum non desine cursum.
Sed Parnasiacas impiger ito vias.
Sic nancisceris summa praemia laudis,
Et patriae fies stella corusca tua.*

Politissimo nec non Doctissimo Dn. Respondenti,
commensali & amico suo fraterno
l.mq; fecit.

Friderich Clatten, Cellâ-Lunæb.

XX

QVando quisq; suo administrat ausu
cuncta, & regula quid reposcat æqui
nil curare studet: cruenta mundum
vis invadit, & ire cuncta pessum
pergunt. Quod Theodore mente gestans,
Scrutaris Themidos secreta, *juste*
zutele moderamen atq; tractas;
Affectum ut moderare quisq; discat,
& demum celebret Themis triumphum,
quod Respublica stet vigore, cernens.
Doctis fama viris perennis hinc te,
O Dethmare dabit! Tibiquod opto.


*Prestantiss. Dn. Dethmario amico suo
per dilecto, honoris & amoris
E. L. Mg. fecit*

Nicolaus Schomerus.

F I N I S.



the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiæ se infere-
 re, sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 dem familiæ, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 Anno 1615. vagabundus quidam homo cõ-
 suetudinem Phocam, Palatinum Constanti-
 nopolitanum, & ex familia illustri Græcorum
 jactans, adjumeto intercessionũ, quas
 impetraverat, in plurimorum prin-
 cipalium, & civitatibus ingentem pecuniæ
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 ses, anno 1629. Mens. Martio fœminæ cui-
 dam, ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine à Nobilibus pecuni-
 am poenam temporalis relegationis in-
 curavit. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
sequenti num. 41. adducit exem-
plum assumpto nomine Advocati cujus-
dam publicè jactaverat, quem postea
Senatus virgis coedi, & exilio
condemnavit & huc exempla relata à Valers

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nentem suam mutat, & se pro alio suppo-
 nit, ut apud Historicos aliosq; scripto-
 rum inter quæ notissimum est illud Plau-
 ti in forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut è bello rever-
 sus concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4